

13	AAS XXIII (1931) 353-354	Can. 514 §1 — can. 848 — can. 788 — can 1989 — can. 1990
----	--------------------------	---

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO

AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Em̄i Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE ULTIMIS SACRAMENTIS MINISTRANDIS

D. An canon 514 § 1 ita intelligendus sit ut in religione clericali Superioribus ius et officium sit omnibus, de quibus in eodem canone, extra religiosam domum aegrotis Eucharisticum viaticum et Extremam Unctionem ministrandi.

R. *Affirmative*, si agatur de religiosis professis vel novitiis, firmo tamen praescripto canonis 848; secus negative.

II. — DE AETATE CONFIRMANDORUM

D. An canon 788 ita intelligendus sit ut Sacramentum confirmationis in Ecclesia latina ante septimum circiter aetatis annum conferri non possit nisi in casibus, de quibus in eodem canone.

R. *Affirmative*.

III. — DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

D. An vi canonis 1989 eadem causa matrimonialis, ab uno tribunali iudicata, ab alio tribunali eiusdem gradus iterum iudicari possit.

R. *Negative*.

IV. — DE DECLARATIONE NULLITATIS MATRIMONII

D. I. Utrum *par certitudo*, de qua in canone 1990, haberi possit tantura ex certo et authentico documento, an etiam ex alio legitimo modo,

II. Utrum *citatio partium*, de qua in canone 1990, facienda sit ante ~~—~~
declarationem nullitatis matrimonii.

R. Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative*.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 16 mensis Iunii anno 1931.

P. CARD. GASPARRI, *Praeses*.

L. S.

I. Bruno, *Secretarius*.
